Die digitale Landesbibliothek Oberösterreich

oö landes bibliothek

Terms and Conditions

The Library provides access to digitized documents strictly for noncommercial educational, research and private purposes and makes no warranty with regard to their use for other purposes. Some of our collections are protected by copyright. Publication and/or broadcast in any form (including electronic) requires prior written permission from the Library.

Each copy of any part of this document must contain there Terms and Conditions. With the usage of the library's online system to access or download a digitized document you accept there Terms and Conditions.

Reproductions of material on the web site may not be made for or donated to other repositories, nor may be further reproduced without written permission from the Library

For reproduction requests and permissions, please contact us. If citing materials, please give proper attribution of the source.

Imprint:
Director: Mag. Renate Plöchl
Deputy director: Mag. Julian Sagmeister
Owner of medium: Oberösterreichische Landesbibliothek
Publisher: Oberösterreichische Landesbibliothek, 4021 Linz, Schillerplatz 2

Contact:
Email: landesbibliothek(at)ooe.gv.at
Telephone: +43(732) 7720-53100

Novo librorum Mariae B. Virg. in Garsten Catalogo inscriptus A. 1631.

N. 80
Nr. 494

Omnium sapientie cum Salomone poscente a vero pacifico postulata consequeris. Cum predecessori tuo bone memorie venando abbati librum David utrumque ex quo plenam postes arme primo iubendo exigis successori eius librum Salomonis tibi explanari iustum asserens ut qui prius patris opus magno sudore elaboratum obtuli tibi quasi filio filii opus stilo elucidatum debeam officii. Feci itaque quod iussisti ut librum Salomonis qui intitulatur Cantica canticorum multorum ore celebratum paucorum intellectu reseratum plano stilo reserarem ac opus desidiosis obstrusum omnibus studiosis spiritu sancto illustrante elucidarem. Nil michi preter solum laborem ascribens summam vero auctoritati sanctorum relinques.

In principiis librorum tria requiruntur, scilicet auctor, materia et intencio. Auctor ut nomen vel nomen scriptoris, utrum ethnicus an fidelis, utrum katholicus an hereticus fuit. Materia ut scias utrum de bellis an de nupciis vel de quibus tractet. Intencio ut cognoscas utrum rem de qua tractat suadeat vel dissuadeat vel liber lectus quid utilitatis conferat. Auctor huius libri est spiritus sanctus loquens per os sapientis Salomonem. Huius libri scriptorem qui fuit rex sapientissimus et propheta precipuus. Ideo non legitur lectio libri Salomonis sed lectio libri sapientie. Cum Salomon tria volumina eroico metro edidit que in tres partes scilicet ethicam, phisicam, theoloycam distribuit. Parabolas namque ethice attribuit, in quibus bonos mores docuit, ut ibi: Audi fili mi disciplinam patris tui et ne dimittas legem matris tue. Ecclesiasten autem phisice assignavit, in quo naturas rerum disseruit, ut ibi: Omnia flumina intrant mare ad locum unde fluunt revertuntur aque ut iterum fluant. Cantica vero canticorum theoloyce contulit, in quibus rationalem animam per dilectionem deo coniungi docuit, ut ibi: Fortis est ut mors dilectio. Aque multe non potuerunt extinguere caritatem.

Auctor est equivocum. Equivocum autem dicitur quod unum est in nomine sed diversum in significacione, ut leo. Est enim leo celeste signum in celo. Est et leo terrestris bestia in terra. Est et leo aquatilis piscis maris. Est quoque leo nomen hominis, apostolicus vel imperator. Est et leo pictus vel sculptus. Sic et auctor est equivocum. Est enim auctor civitatis, id est fundator, ut Romulus Rome. Est et auctor sceleris, id est princeps vel signifer, ut Judas mortis Christi. Est quoque auctor libri, id est compositor, ut David psalterii, Plato Thimei. Est et auctor cui in iudicio dicitur. Materia libri est sponsus et sponsa, id est Christus et ecclesia, ut in ewangelio scribitur: Qui habet sponsam sponsus est. Item x virgines exierunt obviam sponso et sponse. Christus namque per similitudinem dicitur sponsus, quia sicut sponsus sponse carnaliter coniungitur et unum cum ea efficitur, ita Christus per assumptam carnem ecclesie associatur et ipsam per communionem corporis eius ei incorporatur unum

et corpus eius efficitur, cuius caput ipse in celis legitur, quia eius omnis ecclesia per fidem et dilectionem ei conectitur.

Hic liber agit de nupciis que quatuor modis fiunt, scilicet hystorice, allegorice, tropologice, anagogice. Iuxta hystoriam fiunt nupcie duobus modis, aut corporis commixtione aut sola desponsacione ut Marie et Joseph, carnis commixtione ut Salomonis et filie Pharaonis, quam sibi iure copulavit in coniugium et domum cum gemmis ei edificavit. Iuxta allegoriam quoque fiunt nupcie duobus modis. Uno modo quo verbum dei carni se coniunxit, id est quo deus humanam naturam assumpsit quam in dextram patris exaltavit, in solio glorie collocavit. Alio modo quo Christus deus homo universam ecclesiam, id est totam fidelium multitudinem, per commixtionem corporis sui sibi sociavit, quam et sanguine suo subarravit et lavacro baptismatis lavit et variis spiritus sancti carismatibus dotavit. Iuxta tropologiam etiam fiunt nupcie duobus modis. Uno modo quo anima verbo per dilectionem copulatur. Alio modo quo anima que est inferioris vis hominis inferius spiritui qui est superior vis eius per consensum divine legis coniungitur, de quo coniugio spiritualis proles, id est bonum opus, gignitur. Iuxta anagogen in celis fiunt nupcie duobus modis. Uno modo quo Christus a morte resurgens novus homo celos ascendit et multitudini angelorum se associavit. Alio modo quo adhuc post resurrectionem totam ecclesiam in visione deitatis sue glorie copulabit.

Tres nupcie leguntur in ewangelio. Prime, ubi simile est regnum celorum homini regi qui fecit nupcias filio suo. Secunde: Vos similes hominibus expectantibus dominum suum quando revertatur a nupciis. Tercie: pater erat invitatus cum eo ad nupcias. Prime nupcie fuerunt quando rex celi filio suo humanam naturam copulavit, ubi virginis uterus thalamus fuit, de quo ut sponsus de thalamo processit. Ad has nupcias omnes ante legem per patriarchas et sub lege per prophetas invitavit. Secunde nupcie fuerunt quando Christus novus homo celos ascendit et multitudinem angelorum sibi coniunxit. Ad nupcias has omnes gentes per apostolos convocavit. Tercie nupcie post iudicium erunt, quando per angelos ecclesiam in celestem Jerusalem transferet et in thalamo glorie ipsam deitatis visione sibi coniunget. Ad has nupcias prelatos ecclesie multos volentes intrare, multos nolentes intrare compellit. De his nupciis materia huius libri contexitur. Et id epythalamium, id est nupciale carmen dicitur. Intencio eius est ecclesiam vel quamlibet animam ut sponsam sponso Christo per dilectionem coniungere. Que dilectio in duo dividitur, scilicet in dilectionem dei et proximi. Dilectio proximi est biformis, scilicet: Quod tibi fieri non vis alii ne feceris, et: Quod vultis ut faciant vobis homines facite eis similiter. Dilectio dei uniformis est, scilicet ut precepta eius servemus, ut scribitur: Si quis diligit me sermonem meum servabit. Tytulus huius libri talis est: Cantica canticorum.

Augustodunensis Ecclesiae presbyter et Scholasticus vivens circa A. 1120.

Honorius super Cantica. Item sermones de diversis

St B L